

כַּלְהִי

ΨΥΧΟΛΟΓΙΑ

SEU

DISSERTATIO PHYSICA,

DE

ANIMA HOMINIS,

Quam

Consensu & suffragio Amplis. facultatis Philosophicæ, in Regiâ Academiâ, quæ Aboz Fennorum est,

SUB PRÆSIDIO

AMPLISSIMI VIRI,

M. PETRI HAHN,

Scientiæ naturalis Professoris, & Acad. Bibliothecarii, Fautoris & Promotoris, gratâ memoriâ ætatem commemorandi;

Publico examini modeste submittit

SAMUEL COLLANDER T. F.

V. D. ministr. in Pargas.

In Auditorio Maximo

ad Diem 18. Martii Anni 1702

τῶν Χριστιανῶν CIO 10^C XCIX.

Psal. 139. v. 14.

אֲדַרְךָ עַל כִּי בִּנְיָאֲתָהּ נַפְלְאוֹת נַפְלְאוֹת
מִעֲשֵׂיךָ וְנַפְשִׁי דַרְעַת מֵאֵד;

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

MAGNÆ FIDEI VIRO,

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO,

Dⁿ. IOHANNI GEZELIO,

S. S. Theologiæ DOCTORI longe Excellen-

tissimo, DIOECESEOS Aboënsis EPISCOPO Eminentissimo,

Regiæ ad Auram Academiæ PRŒ-CANCELLARIO

Magnificentissimo,

Consistorii Ecclesiastici PRÆSIDI Gravissimo,

Scholarum, per has oras, EPHORO Adcuratissimo.

MOECENATI & PATRONO Maximo ac Indubitatissimo

Quovis officio atque pietatis cultu maxime de venerando;

NEC NON

Maximè Reverendis atque Excellentissimis,

Dⁿⁿ. DOCTORI
& PROFESSORIBUS,

Ven. Consistorii Eccl. ADSESSORIBUS Amplissimis,

Ut antea Præceptoribus fidelissimis,

Ita nunc Promotoribus propensissimis,

demissâ animi reverentiâ nunquam non colendis.

τὴν διατίθειν ψυχολογικὴν tanquam scætum post liminio re-

viviscentem, In spem Promotienis, grati animi πικνέριον,

debitæque observantiæ μνημοσύνην, humillime &

officiosissimè dicat & offert,

Reverendissimæ Vestr. Paternitatis
Maximè q̄; Rever: Vestr: Dignitatum,

Obsequiosissimus Client

SAMUEL COLLANDER.

IN DISSERTATIONEM ERUDITAM,
VIRI VENERABILIS

Dn. SAMUELIS COLLANDRI,

Verbi divini ministri in Pargas
fidelissimi,

De

ANIMA HUMANA

nervosè conscriptam;



Va te laude vehant COLLANDER

Turba novena

Musarum, exultent pulpita sacra
simul?

Dicere vix tentem, quoniam præconia verbi

Divini, assiduum nomen ad astra ferunt,

Et video sophiæ multo conamine Mystras

Præmia digna satis reddere velle tibi.

Pergito sic sophicas curas superaddere sacris,

Ambarum ut repetas nomina clara tibi.

*Gratulabundus subito
scripsit,*

JOH. FLACCHSENIUS
Prof. Primarius,

IN DISPUTATIONEM

De

ANIMA HUMANA,

VIRI Venerabilis & Doctissimi,

Dn. SAMUELIS COLLANDRI,

Animarum in Ecclesia PARGAENSIVM Sub-

Pastoris vigilantissimi,

Αὐτοχθόνασμα:



THEOLOGUS pascis, PHYSICUS scruta-
ris easdem

Nunc, ANIMAS: fies THEOLOGO-
PHYSICUS.

Quod amicitie & off. ergo ded,

A. WANOCHIUS.

S. S. Theol. Prof.



Πάν ὃ, ἢ ἀν ποιήσῃ, ἐν λόγῳ, ἢ ἐν ἔργῳ, πάντῃ ἐν ὀνόματι Κυρίου
Ἰησοῦ, εὐχαριστοῦντες τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ δι' αὐτοῦ.

Col. 3. v. 17.

§. I.



Homo! quid miraris si-

derum altitudinem & profundi-
tatem maris, animi tui abyssum
intra & mirare si potes, non mi-
nus verè quam eleganter inquit
Isidorus lib. I. De summo bo-
no; quibus verbis insignis ille vir,
nos ad animæ nostræ considera-

tionem simul & admirationem invitat; mirantur enim
homines sæpè non miranda, mirantur cæli altitudinem,
mirantur maris profunditatem, sed pereuntia & caduca,
anima autem ὁμοιοτάτη & peritura nescia: Hinc Mer-
curius Trismegistus, (quisquis demum fuerit) homi-
nem, miraculum magnum, & animal adorandum; & Pla-
to θαῦμα θαυμάτων salutarunt. De hac hominis par-
te, quamvis maximè obstrusâ & profundissimâ abysso
immerfa, impræsentiarum, ingenio licet imbecillis, non
accuratè dislerere, sed puerorum more balbutire, est
animus. Hujus enim consideratio, nos, in cognitionem
multarum rerum deducit: δοκεῖ δὲ καὶ πρὸς ἀλήθειαν ἀπα-
σαν ἢ γνώσει αὐτῆς μερόϊα συμβάλλεσθαι, ut Arist. in præfa-
ctione libri de anima inquit; utilis quoque est tam Theo-

logo, quam Philosopho, cæterisque Facultatibus. Ad-
esto igitur hic ò gloriose animarum Creator, mentem,
crenam & linguam nostram, gubernas & rege, & da
nosce me, quia nosce me, est nosce te.

§. 2. Præciso longiori verborum ambitu, telam
susceptam aggredimur, quæ feliciori successu ut exten-
datur, removebimus hinc considerationem animæ ab-
solutam; non enim hic attendimus animam absolutè, in
terminis quidditativis, quæ tractatio ad Πνευματολογία
spectat, sed respectivè, in relatione ad corpus, freti au-
xilium animam dantis, daturi etiam intelligentiam.

§. 3. Cum autem ò Βίος Βραχυς, ἢ δὲ τέχνη μακρὴ,
ut conqueritur Hippocrates, idcirco rebus inutilibus &
minus existentibus nequaquam vita insumenda, animam
autem dari, nobis Christianis, luce meridianâ clarius
esse debet. Probaturque non tantum dictis scriptu-
ræ omni exceptione majoribus, quæ infinitis in lo-
cis, animam hominis esse testantur; nobis vero pro
temporis ratione, hæc duo sufficiant: ut Gen. 2. v. 7.

וַיִּצְרֶה יְהוָה אֱלֹהִים אֶת-הָאָדָם עֹפָר מִן-הָאֲדָמָה
וַיִּנְפַח בְּאַפָּיו נְשָׁמַת חַיִּים וַיְהִי הָאָדָם לְגֵשֶׁם חַיִּי:

id est, Et formavit Dominus Deus hominem pulverem
de terra, & inspiravit in nares ejus spiraculum vi-
tæ, & fuit homo in animam viventem. 1. Reg. 17. v. 21.

וַתֵּשֶׁב נְפִשׁ-הַיֶּלֶד עַל-קִרְבּוֹ
i. e. Et reversa est ani-
ma infantis in interiora ejus: Veram etiam rationibus
Philosophicis minimè contemnendis; quarum prima, ex
operationibus desumpta est; operatio enim indicium
essentiæ est: Talis est intellectio in homine; intellectus
enim non solum res terrenas, sed quoque divinas, ad-
mirando suo acumine scrutatur. Secunda ratio &

caren

cauentiâ operationum deducitur, discedente enim animâ, omnis operationis causâ, ejus effectus quoq; cessat, sic homo, animâ absente, non amplius intelligit. Tertium argumentum ab auctoritate Philosophorum emergit, quod tamen consulto præterimus.

§. 4. Quæstioni τὸ ὄπ, quæstionem τὸ π subjungere, non inconueniens esse duximus, ne legis bonæ methodi transgressioni, obnoxii fiamus; Hanc absoluit ipsa definitiva oratio, quæ omni philosophantium calculo duplex statuitur, ὀνομασολογικὴ sive nominalis, reddens rationem ob quam hoc nomine appelletur, ut tritum illud sonat, *conueniunt rebus nomina sæpè suis*: est enim ὄνομα ὄργανον διδασκαλικὸν καὶ διακριτικὸν τῆς ἐπιστῆς ὡς περ κήρυξ ὑφάσματος juxta Platonem. Et πραγματολογικὴ sive realis, proprius rem ipsam declarans: Illa ad mandatum Philosophi I. 6. Eth. c. 3. dicentis ἐκ προγνωσσκομένων πάντα ἢ διδασκαλία, πείσει τε μάθησις διανοητικὴ ἐκ προπαραχέσης γίνεται γνώσεις præmittenda, quæ tria potissimum considerat. 1. Ἐτυμολογίαν sive nominis veram & genuinam expositionem, 2. Ὁμοιμίαν sive vocis ambiguitatem, 3. Συνονυμίαν sive terminorum æquipollentiam.

§. 5. Ἐτυμολογίαν quod concernit, sciendum est vocem animæ Latinam derivari à vocabulo græco ἀνεμῶς, quod significat ventum seu spiritum, hinc ἀνεμῶσις, ἐστὶ ventosus, ἀνεμῶεν ἴσιον ventosum velum; vocem præterea græcam ψυχὴ, à verbo ψύχω, vel à nomine ψυχὸς i. e. refrigerium; Hebræam vero שָׁפָא à verbo שָׁפַח flavit, efflavit, perflavit, eo quod Deus inspiravit animam Adamo; Rationalis autem dicitur à facultate sua, quia habet vim ut & potentiam ratiocinandi & discurrendi.

§. 6. Cognitam ita breviter, pro instituti ratione vocis Ἐτυμολογίαν, excipit jam, quo stat progredi ordine,

ipsa ἁνευρομία, sive ἰσοδυναμία, altiori mentis bilancē ponderanda, quæ nisi tollatur, facilis erit descensus ad inextricabiles quosq; labyrinthos, quia semper errorum dicitur generrix. Observamus igitur vocem animæ esse ἐκ τῶν πολλὰχῶς λεγομένων. Accipitur enim, 1. Συνεκδοχικῶς, pro toto homine, ut Gen. 46 v. 26. כל - הַנֶּפֶשׁ י. e. Omnis anima רַחֵם יְיָ אֱלֹהֵינוּ וְצַדִּיקֵינוּ וְיָבוֹא יְיָ אֱלֹהֵינוּ וְיִשְׁלַח מַצְרַיִם וְיָבוֹא יְיָ אֱלֹהֵינוּ וְיִשְׁלַח מַצְרַיִם venies ipsi Jafiacob in Agyptum egressa est de femore ejus. 2. Pro desiderio, ut Psal. 41. v. 5. יְיָ אֱלֹהֵינוּ וְיִשְׁלַח מַצְרַיִם וְיָבוֹא יְיָ אֱלֹהֵינוּ וְיִשְׁלַח מַצְרַיִם i. e. Domine miserere mei; sana נַפְשִׁי כִּי - הִטָּאתִי לְךָ animam meam quia peccavi tibi, 3. Pro quovis animato, ut Gen. 1. v. 24. וְהוֹצֵא הָאָרֶץ נֶפֶשׁ חַיָּה לְמִינָהּ i. e. Producat terra animam viventem ad speciem suam. 4. Pro halitu seu aëre, quo sensu Cic. ait, animam sive aërem, ab asperâ arteriâ oriri. 5. Pro corporis animati vita, sic dicimur animam debere alicui. 6. Pro formâ substantiali sive parte essentiali potiore, cum corpore unum ὑφισταμένον constituyente, ut heic loci.

§. 7. Ad ultimum, in nominis expositione, sese observandam offert Συνοנוμία, secundum quam, varias acceptiones sibi impositas habet, quibus declaratur; dicitur, enim anima rationalis aliis nominibus 1. mens, 2. Ratio. 3. animus. Mens appellatur dum intelligit; ratio dum ratiocinatur; animus dum sapit; sicut Scaliger Excer. 307. sect. 2. dicit. à græcis autem λογική ψυχή vs appellatur, ut apud Arist. lib. 3. de anima cap. 4. & seq.

§. 8. Expositâ sic definitione nominali, ne vela instabili vento dare, & præter rem aliquid facere videamur, definitionem realem apponere consultum esse remur; Definitor a. â. Clarif. Sperlingio sic: Anima rationalis est forma hominis, per quam est, intelligit & vult.

§. 9. Hæc

§. 9. Hæc definitio circumscibitur conceptu convenientiæ seu genere, quod indigitat vox, Forma. Hanc formam legitimum genus esse animæ rationalis patet exindè, quia forma est causa interna, per quam corpus naturale constituitur, per hanc autem formam, homo est, id quod est, & suas functiones exsequitur, dat enim homini & esse, & distingvi, & operari: quo sensu illud non adversatur definitioni Aristotelicæ, qui generis loco *ἐντελέχειαν* ponit.

§. 10. Conceptum disconvenientiæ sive differentiæ reliqua dant verba, per quam est, intelligit & vult; ut autem hæc eo clarior evadat, singula eam constituentes verba, exactiori mentis tribulo discutienda veniunt.

§. 11. Particula illa, per, accipitur *πολλὰχῶς*, 1. generaliter & *γενικῶς*, & sic sumitur 1. pro medio alicujus loci vel ordinis, ut transire per ignem, explicare per causam 2. Pro causa efficiente, ut per *κτίσιν* acquiritur doctrina; 3. Pro subjecto, ut corpus est coloratum per superficiem; 4. Pro causa instrumentali, ut percutere per ferrum. 2. Propriè & *ἑδικῶς*, pro habitudine formæ, quam habet ad compositum, sic heic loci usurpatur.

§. 12. Verbum substantivum, est, non tantum de tempore præsentis, sed etiam de præterito & futuro intelligendum venit, ut sensus definitionis sit, anima rationalis est forma hominis, per quam est, h. e. existit, fit, aut incipit esse, vel fuit aliquando producta, vel erit aliquando producibilis; proficiscitur autem ita hæc differentia, à subjecto constitutionis, quia largitur homini esse, non tamen quodvis, sed formale, specificum & determinatum; Nec esse totum, sed in & cum materiâ, tamquam altera essentiali parte;

partē; ut & distinctivum, distinguitur enim homo, per hanc formam ab aliis animalibus, distinctione essentiali, quæ dicitur à priori, non accidentali & à posteriori.

§. 13. Reliqua verba, intelligit & vult, in datâ definitione, profluunt à subjecto operativo; operationes hic intelliguntur præcipuè specificæ & primariæ, ut sunt intelligere & velle, & etiam secundariæ, ut sunt ridere, flere & sermocinari, quæ soli homini propriè conveniunt; forma enim res est non otiosa, sed negotiosa; ideo etiam haud incompetenter omnium operationum principium est, quæ in composito inveniuntur. Consequenter etiam genericæ, ut potè vegetativæ & sensitivæ formæ rationem habet.

§. 14. Hactenus vidimus *ὀνματολογίαν* & *πραγματολογίαν*, nunc priusquam ad facultates pedem moveamus, verbulo etiam originem & propagationem animæ tangamus de quo themate, ulro citroque in Scholis Philosophorum disputari solet; sed missis aliorum sententiis, affirmamus quod solis parentibus per traducem vi primævæ benedictionis, ex singulari Dei ordinatione & coordinatione maris & fœminæ, anima propagetur; Ubi vocabulum traducis, non *ἰδίως*, ita enim notat propagationem seu partem quandam ab arbore sectam, & in aliam traductam; sed *μεταφορικῶς*, ita ut traductio, heic loci, nihil aliud sit, quàm animæ transvectio, quæ in hominis generatione beneficio spermatis fit, sumitur: Hæc docent adprobant & evincunt. I. Sacra oracula: ut *Gen. 1. v. 28.* פְּרִי וְרֵבִי - וּמְלֵאוּ אֶת - הָאָרֶץ
i. e. Et crescite & multiplicare vos, & replete terram. *Gen. 46. v. 26.* וְהָיוּ - בְּעֵן - הָאָרֶץ
וְהָיוּ - בְּעֵן - הָאָרֶץ

i. e. Ecce in iniqui-
 tibus formatus sum, & in peccato calefacit me mater mea, II. Rationes, & quidem Cl. D. Theod. Tummii, quarum prima, *Quodcumque pertinet ad speciem naturæ humane, illud generando propagatur, atqui non solum corpus, sed etiam anima humana pertinet ad speciem naturæ humane. Ergo non solum corpus, sed etiam anima humana generando propagatur.* Major patet quia species naturæ humanæ conservatur per generationem. Secunda, *Generatio, quâ homo generat hominem, aut est univoca, aut Equivoca, atque non est equivoca, Ergo univoca.* Ad generationem autem univocam requiritur, ejusdem naturæ & essentiæ communicatio, quæ etiam homini convenit, & hanc absque rationalis animæ communicatione fieri *ἀόρυστα-τον* est statuere. III. Autoritates, etiam ex ipsis Adversariis, ut sunt Bellarmini, Birgithi, Petri Martyris, Sohni, & aliorum. Neque tamen existimandum quod Pater & Mater totam aut dimidiam animam, sed utraque utriusque parentis anima copulata, unam indivisibilem & incompositam animam producant & propagant: nam pluralitas efficientium, tanquam causarum externarum, nequæquam inferunt compositionem in effectu, juxta Philosophos. Totum hoc negotium illustrari potest, similitudine faciæ ardentis, quam videre est, in Cl. D. Balt. Meisneri Phil. Sob. pag. 926. & 927. & tantum de ortu animæ, sequuntur, quibus dotata est, facultates.

S. 15. *Facultates animæ sunt qualitates, ex ipsâ emanantes, ut homo istarum beneficio humanas edat actiones; est itaq; finis proximus facultatum, ad operationes ordinari humanas, quia natura facultatibus instruit hominem, ne in operationibus suis exercendis deficiat*

ficiat: Sic absq; intellectu, deficeret intellectio, absq; voluntate, volitio, nam omnis potentia propter actum data; verum enim verò, hæ facultates, in medium prodeunt ab animâ non per transmutationem, sed per emanationem, quæ non sine verâ efficacîâ & actione perficitur.

§. 16. Sed hic quæri potest, utrum hæ facultates differant realiter ab anima? negativam alii cum Scaligero amplectuntur, qui hæc verba inter cetera habet Exerc. 307. sect. 15. *Decet animam propter suam dignitatem fungi suis officiis, suasq; exercere potestates, absq; ullius accidentis, aut inhærentis, vel presidio, vel adminiculo, sed sine ullo medio statim per essentiam suam. Quæ essentia sine reali potestatum disjunctione, est principium sibi ipsi avmagxi; id est, quod sit satis sibi ad producendas effectiones suas: easq; non solum simplices, ac uniformes, sed etiam compositas, propter suam simplicitatem, atq; divinitatem.* Sed affirmativam nos tuebimur innixi hoc fundamento; Omne accidens à subjecto differt realiter, facultates sunt accidentia; E. ab anima differunt realiter; & major & minor probatur, quia anima est substantia, facultates vero sunt accidentia; Addi & poterit id, quod nulla substantia creata sit immediatum suarum actionem principium;

§. 17. Hæ facultates ejusdem non sunt dignitatis, sed alii aliis nobilitate præstant, hinc dividuntur in primarias: ut sunt intellectus & voluntas, & secundarias: ut sermo & risus. Hæ divisio non est ratione subjecti proximi, omnes enim unam agnoscunt matrem & eodem partu editæ sunt, sed ratione objectorum & operationum, præstantiora enim objecta & operationes, intellectus & voluntas habet, quam risus & sermo.

§. 18. *Intellectus est facultas animæ rationalis ad ve-*

nam cognoscendum ordinata. Intellectus objectum formale est verum; nam omnia intellectus rimatur veritatis investigandæ gratia. Operationes autem intellectus sunt tres. 1. Apprehensio simplicium, quâ notiones rerum simplicium & incomplexarum apprehenduntur & cognoscuntur: Dicitur νόσις ἀπλῶν νοημάτων καὶ ἀδιαίρετων. 2. Compositio & divisio, quâ unum de altero affirmatur vel negatur, dicitur σύνθεσις καὶ διαίρεσις τῶν νοημάτων. 3. Ratiocinatio seu discursus, quâ unum ex alio deducitur, ut è noto ignotum, dicitur λογισμὸς καὶ δυνωσις.

§. 19. Dividitur intellectus καὶ πρότερον, ἐκ τῆς οὐσίας; Nam intellectus ratione essentialis unus est, ob varios tamen respectus varius: v. g. is ipse intellectus, qui Theoreticus est, Practicus est; & Practicus, Theoreticus est, tamen propter diversitatem objecti & modi agendi, alio atq; alio nomine insignitur, atq; sic ratione objecti & finis, dividitur in Theoreticum & Practicum.

§. 20. *Theoreticus intellectus, sive νῦς θεωρητικὸς καὶ ἐπιστημονικὸς, versatur circa res necessarias, pro fine Theoriam habens.* Objectum Theoretici intellectus sunt res necessariae, quia nihil superaddit intellectus, sed fert, quod mutare nequit; dicuntur autem res necessariae quia ex se ita sunt, ut non possint non ita esse. Finis vero ejus est rerum cognitio, sic homo intelligit propter nudam contemplationem & scientiam; acquisitâ enim cognitione istâ, hic intellectus perfunctus est suo officio. In disciplinis Theoreticis, utpote Physicâ Metaphysicâ & Mathematicâ, Theoreticum habemus intellectum, quia tantum ibi contemplamur

& speculamur ut scientiam & cognitionem objectorum assequamur.

§. 21. *Practicus sive vis peractiva, qui versatur circa res contingentes, pro fine praxin habens.* Objectum hujus intellectus sunt res contingentes; contingentes ideo dicuntur, quia possunt sese aliter habere; hujus finis est *πραξις* sive agere; ita homo intelligit propter actionem, ut modum secundum virtutem agendi sciat, versatur hic modus circa bonum & malum, vel prosequendum vel fugiendum, vique exerit suam deliberando & consultando, de vitandis & expetendis rebus, & propterea finis ejus est agere: Sic in Ethicis, Politicis, & Oeconomicis, datur intellectus Practicus, quorum finis, honestè vivere, benè administrare Rempublicam &c. quia non decet, ore Ethicum, more agrestem; ore justum, opere verò injustum esse.

§. 22. Ad hunc intellectum conscientiam referri posse in apprico est, quæ consistit in scientiæ applicatione ad opus, quod vel jam factum, vel adhuc faciendum est, hinc multiplex officium conscientiæ, circa factum ejus partis est testificari, hinc mille testes audit. Conscientiæ malæ officium est terrere, cruciare, mordere, &c. bonæ verò, Consolari & susque deque habere omnia hominum convitia. Hinc quidam Mantuano quærenti, cur tibi tam levis est, cur tam jucunda senectus? Respondebat,

Libera quod vitis tota juventa fuit:

Hinc versus Horatii lib. 1. Epist. ad Mec.

— — — — — Hic murus abeneus esto,

Nil conscire sibi nullâ pallefcere culpâ,

Circa

Circa opus bonum faciendum, officium ejus est instigare & obligare, circa malum verò dissuadere & consilium retrahere.

§. 23. Ratione operationum, intellectus dispefcitur in Agentem & Patientem: *Agens sive v̄s ποιητικός est, qui ex potestate intelligibilibus, facit actū intelligibilia.* hujus officium est, ut speciem sive φαινόμενα quæ à sensu communi & phantasiâ allata sunt, illustret & intelligibilem transmutet, ut quæ δυνάμει νοητῆι erant, faciat opere ipso νοητῆι. Nam ut lumen, colorem in tenebris latitantem, qui potentia solum aspectabilis est, efficit, ut ipso actu cernatur, ita intellectus agens suo fulgore, species sensiles, alienis conditionibus, nempe loci, temporis, figuræ, quantitatis, coloris, &c. etiam involutas, depurat, & ab omni materialitate (sit venia verbo) liberat, ut ab intellectu patiente cognoscantur, ut quæ potestate erant actu sint, Arist. lib. 3. de anima, Cap. 5. Text. 18.

§. 24. *Patiens intellectus, sive v̄s παθητικός est, qui intelligibiles species in se recipit, percipit & dijudicat,* hic intellectus, non est numero diversus, ab agente, sed idem; discrepat & differt tamen ratione modi agendi, quemadmodum enim sensus agens & patiens est idem; agens, quatenus species receptas cognoscit, patiens, quatenus species sensiles recipit: Similiter sese habet intellectus, agens quatenus species intelligibiles facit, patiens quatenus species factas recipit. Dicitur intellectus, patiens, quia species νοητῆας recipit. Receptio autem Philosophis est passio; interim tamen etiam agit quum species receptas percipit, dijudicat & accuratius examinat.

§. 25. Status patientis intellectus consideratur ab Aristotele *τελὴς ἢ κατὰ δύναμιν*, in potentiâ, quâ quis aptitudinem ad recipiendas species intelligibiles habet, sic intellectus Petri, ante scientiæ naturalis acquisitionem, in potentiâ est. 2. κατ' ἐξῆν in habitu, post acquisitionem, quâ Petrus species receptas secum gerit, licet juxta habitum non operetur. 3. κατ' ἐνέργειαν, in actu & operatione, quando jam jam occupatur in νοητοῖς & contemplatur: Sic intellectus Petri actu dicitur.

§. 26. Hic obiter notandum, intellectionem, actionem esse inorganicam, visio, auditio, cæterique sensus, organum postulant; Sed locus intellectio, deferuntur quidem per organa objecta ad intellectum, eadem tamen absque organis cognoscuntur; Sed quid de cerebro censendum? Nonne requiritur ad intellectionem, nam ubi cerebrum malè dispositum, ibi quoque pravum judicium; Sed ad objectum spectat illud, non ad organum: Si cerebrum esset intellectionis organum, nonne equus & bos quoque intelligerent, in quibus & illud res perire licet; nec intellectio in se spectata, cerebro, velut organo perficitur, ut Cl. Sperling. in sua Anthrop. pag. 162.

§. 27. Pertextâ sic qua fieri potuit brevitate, prima animæ rationalis facultate, altera nempe voluntas explicanda restat, cujus definitio talis. *Voluntas, est facultas animæ rationalis, ad bonum appetendum & malum fugiendum ordinata.* Dicitur voluntas, facultas animæ rationalis, quoniam nec animæ vegetantis, nec sentientis propria, sed intelligentis solum. Hinc recte Alexander Aphrodisæus in 1. de anima ait: *voluntas est appeti-*

ius quidam deliberationis, rationi conjunctus: Ideo etiam ab Aristotele 3. de anima Text. 50. Appetitus rationalis vocatur; nam triplicem in rerum natura habemus appetitum, naturalem scilicet, sensitivum & rationalem. Naturalis est (verbis utimur Sperlingii) quod unum quodque fertur ex natura sua in objectum sibi conveniens. Sensitivus est, quo animalia, præviâ sensuum cognitione, feruntur in objectum sibi conveniens. Rationalis est, quo homo, præviâ intellectus cognitione fertur in objectum sibi conveniens: Atque hic appetitus cum voluntate convenit. Hujus objectum vel materia circa quam, est bonum vel malum, à præcedente intellectus cognitione, monstratum; sicut intellectus objectum est verum. Intellectus enim voluntati monstrat quid amplectendum, quid fugiendum sit (nam ignoti nulla cupido) voluntas, deinde, instar regis, inferiores facultates nempe appetitum sensitivum & locomotivum gubernat.

§. 18. Bonum autem quod voluntas amplectitur & prosequitur, est duplex: aut est *ὄντως* bonum, aut *φαινομένως* bonum; *ὄντως* bonum est, quod reipsâ tale est, sive pro tali habeatur, sive non, ut Deus, mundus, Philosophia, virtus etc. Illudque, vel per essentiam tale est, vel per participationem. Apparens verò bonum est, quod reipsa malum est, Licet pro bono habeatur, ita bona videtur ebrietas, ignavia, ultio etc. de hoc Seneca Epist. no ita: *Mala interdum speciem honesti obtulerunt, & optimum ex contrario nituit; sunt enim ut scis, virtutibus vitia consinia, & perditis quoque ac turpibus recti similitudo est, siq̄ mentitur prodigus liberalem,*

*eum plurimum interfit, utrum quis dare sciat, an ser-
vare nesciat. Multi sunt qui non donant, sed projiciunt.
Non ergo voco liberalem pecunia sua iratum.*

§. 29. Voluntatis individuus satelles est liberum
arbitrium, quod est facultas, qua homo ab intellectu co-
gnita, libere vel suscipere, vel repudiare potest. Hoc
πραγματικῆς non est diversum ab ipsa voluntate, sed est
ipsa voluntas, in quantum & agere & non agere potest:
Sic libera erat proditoris voluntas in Salvatore proden-
do: potuisset enim hoc non facere: liberum arbitrium
vocatur, & *δύναμις*, & *ἐνεργείας* respectu; priori modo deno-
tat voluntatem liberam in efficiendo, vel agendo; po-
steriori actum ipsum libere susceptum; hanc libertatem
si tollas, ipsam voluntatis *δύναμις* tolli & destrui necesse
sit. Hoc tamen notanter sciendum, hujus nullam esse
libertatem *α.* in potentias naturales: nutritivam au-
gmentativam & generativam. *β.* In potentias vitales. *γ.*
In facultatem animalem, sub sese comprehendentem &
sensus internos & externos; sed in appetitu sensiti-
vo, cum locomotivâ, nonnihil etiam in risu & ser-
mone.

§. 30. Atque hinc distinctio, inter actiones volun-
tatis elicitas & imperatas (quæ tamen distinctio apud
veteres Philosophiæ Antistites non reperitur, sed potius
à recentioribus, sive Theologis sive moralistis excogitata
est) *Elicite sunt, quas voluntas per se edit, & non per
potentias inferiores. Imperate sunt, quas voluntas po-
tentiis inferioribus exequendas imperat: Sic jubet oculis
ut apertis palpebris videant; manibus Josephi, ut dimit-
tat vestem in manus dominæ.*

§. 31. Alias etiam distingvi solet, inter voluntatis imperium *δεσποτικὸν* seu Herile, & *πολιτικὸν* seu civile: *δεσποτικὸν* est, cum voluntas instar heri, jus suum in famulos, qui oblectandi facultatem non habent exercet. Sic ad voluntatis imperium cohibemus manum, ne potum admoveat ori, etiam in magnâ siti.

Sic volo, sic jubeo fiat pro ratione voluntatis.

Πολιτικὸν est, cum voluntas instar Regis vel Principis, jus suum in populum liberiozem, qui non vi in justâ cogi, sed potius persuasione tractari & flecti amat, exercet. Sic David potuisset Saulem in speluncâ occidere, si voluisset; & quamvis vindictæ cupiditas hoc ei persuasisset, tamen, cum intellectus suppeditavit ei hoc interdictum: Non licet Dei unctum interficere: voluntas imperavit cordi ne expleret appetitum. Utinam affectus ita semper obedirent recte rationi, & hinc pendentis voluntati, sed valde, prohi dolor! labefactata est hæc obedientia, propter primorum parentum peccatum, ut etiam pii, inordinatis affectibus, brutorum instar obruantur. Hinc recte Phædra in Hippolyto Senecæ conqueritur: *Qua memoras vera sunt nutrix, sed furor cogit sequi pejora, cadit animus in præceps sciens, remeatq; frustra sana consilia appetens.* Idem hic versus Ovidii indigitat.

Excute virgineo conceptas pectore flammæ!

Si potes - - - - -

- - Infelix si possem sanior essem:

Sed trahit invitam, nova vis, aliudq; cupido,

Mens aliud svadet, - - - - -

- - - Video meliora proboque

Detriora sequor.

§. 32. Et tantum de hac, ut intricatissimâ, ita nobilissimâ materiâ, quæ quidem amplius ornatusque & sublimius diduci postularret, verum negotia publica, privata, & domestica, ut & injuncta brevitâs, hic silentium imperant, velleque disputationis componere jubent. De cetero, Deum animarum nostrarum conditorem, calidis invocamus precibus, quòd, sicut nostram animam reliquis superiorem condidit, ita etiam eam supremo Cœlico dignetur loco; ut eum postea in nunquam terminanda secula laudemus & celebremus.

Αποκ. γ. υ. 12.

Ἀμὲν ἡ εὐλογία, καὶ ἡ δόξα, καὶ ἡ σοφία, καὶ ἡ εὐχαριστία,
καὶ ἡ τιμὴ, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ ἰσχύς τῷ Θεῷ ἡμῶν,
εἰς τὸς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμὲν.

